



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectura Christiana

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

4. Exemplum Christi quomodo applicandum sit, tanquam Perpendicularum ab Architecto Christiano.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

occidentibus occupata tenebatur. ut eadem ipsa DEI Sapientia ad
 vitam Personæ suæ homine adsumpto, in quo temporaliter nas-
 ceretur, viveret, moreretur, resurgeret, congrue salutis nostræ dicen-
 do & faciendo patiendo & sustinendo, fieret & deorsum homini-
 bus exemplum redeundi, & iis, qui sursum sunt, Angelis, exem-
 plum manendi.

ARTICULUS IV.

EXEMPLVM CHRISTI

*Quomodo applicandum sit, tanquam Perpendiculum, ab
 Architecto Christiano.*

EXACTISSIMVM est Perpendiculū Salvatoris nostri
 Exemplum, ad quod si virtutes omnes exigeremus,
 facile quid illis desit in notitiam nostram veniret. Vis
 scire, an Humilitas tua, abjectio, & tui ipsius contem-
 ptus rectè confurgant? applica Perpendiculum. Consi-
 dera idem talem illum qui dixit: *Discite a me, quia mitis
 sum & humilis corde* Matthæi XI. Qui nunquam legitur
 cum ullo hominum contendisse de primo loco, primo
 accubitu, primis salutationibus, ambulatione ad dexte-
 ram, sessione in capite, præcedentiâ in egressu, & simili-
 bus ambitionis quisquiliis. Qui cum orta esset conten-
 tio inter Discipulos quis eorum videretur esse major,
 præcepit humilitatis officium, præmissio inter suos &
 alleclis discrimine: Luc. XXI, 24. *Reges Gentium dominan-
 tur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.
 Vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor: &
 qui præcessor est, sicut ministrator.* Adducit deinde Exem-
 plum suum velut Perpendiculum: *Ego in medio vestrum
 sum, sicut qui ministrat.*

AMBI-

AMBIGIS de Patientiæ tuæ rectitudine? arripe Perpendiculum, & accommoda. Christus cum malediceretur, inquit Petrus Apostolus, (a) non maledicebat: cum patretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniuste. Ad hujus ergo similitudinem & imaginem, ut monet S. Ambrosius, (b) Iustus suæ vitæ cupiens instituta formare, accusatus tacet, læsus remittit, dissimulat læsensus, & non aperit os suum, ut illum imitetur, qui sicut Agnus ad victimam ductus, non aperuit os suum: & cum possit habere quod referat, magis vult silere, quam dicere: ipse enim Dominus IESVS cum accusaretur, tacebat; & cum percuteretur, non repercutiebat. Dubitas de æqualitate Obedientiæ? appone Perpendiculum. (c) Christus factus est obediens usque ad mortem: mortem autem Crucis. Subditus erat DEUS homini: & tu te opponis legitimo magistratui. Quid refragaris terra & cinis? Vereris curvitatem in studio Paupertatis Religiosæ? examina illam ad Perpendiculum. *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habuit ubi caput reclinaret. Lucæ 1x. 58.*

(a) 1. Petri 2. 23. (b) S. Amb. in Psal. xxxvii. (c) Ad Philip. ii. 8.



SERMO IV.

NORMA

Architecti Christiani

EXEMPLVM SANCTORVM.

ARTI-

(a) Vir
ni 2. (c) U